



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. De effectibus excommunicationis, sive majoris, sive minoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. III.

De effectibus excommunicationis, sive majoris, sive minoris.

**E**ffectus majoris excommunicationis sunt plures & varii, quos pluribus examinant, & explicant Theologi morales, potissimi sunt. Primum, quod sint privati activo usu Sacramentorum, ita ut nullus possit Sacramentum aliquod administrare (licet saltem, si potestas ordinis tantum requiratur) nisi gravis necessitas urgeat ad quaedam necessaria ad salutem administranda. Secundum, quod sint privati usu passivo Sacramentorum, ut nullum Sacramentum licet suscipere possint, quamdiu sint in excommunicatione positi, *cap. cum illorum 32. h. t.* Tertium, quod privati sint communibus Ecclesiae suffragiis, ita ut nullus horum, ut publica & communia sunt Ecclesiae suffragia, fructus in eos deriveretur, etsi fortassis in gratiam restitutus esset coram Deo. Quartum, quod sit prohibitum illis divinis officiis interesse, quae communiter fiunt à ministris Ecclesiae, ad hoc deputatis. Quintum quod sint privati omni usu, seu executione jurisdictionis Ecclesiasticae, saltem, si tolerari non sint. Sextum, quod sint privati omni communicatione forensi, ita ut excommunicatus non possit habere officium publicum fori externi, & per exceptionem oppositam excommunicationis in utroque foro repelli possit. Septimum quod sint privati omni communicatione civili, & politica cum aliis fidelibus, ita ut excommunicato non tolerato, quales sunt notorii Clericorum percussores, & nominatim

denuntiati, non liceat taliter communicare, etiam Civili communicatione, prout notissimo illo versiculo prohibetur:

*Os, orare, vale, communicatio mensa negatur.* Octavum, quod sint inhabiles ad beneficia obtinenda. Nondum, quod priventur sepultura Ecclesiastica, ita ut in loco sacro sepeliri non debeant, neque solemniter à clero ad sepulturam deduci, quod tamen de solis non toleratis excommunicatis intelligi debet.

Minoris vero excommunicationis duo potissimum effectus sunt: primum, quod taliter excommunicatus sit privatus usu passivo sive susceptione sacramentorum. Et secundum, quod sint inhabiles ad beneficia obtinenda, quae saepe haberi non possunt sine obligatione ad suscipienda Sacramenta.

SECTIO II.

De causis excommunicationis.

§. I.

Quinam possint excommunicare, vel excommunicari.

**P**otestatem excommunicandi habent illi omnes & soli, de jure communi, qui jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo habent, prout sumitur ex *cap. cum ab Ecclesiarum 3 de officio jud. ordi.* (in specie tamen cujusvis Ecclesiae consuetudo attendenda est) & hinc laici, clerici conjugati, feminae, etiam si sint Abbatisse sine Pontificis dispensatione